

4. *Cum pridem.*—Non valet pactum, per quod beneficium Ecclesiasticum debet pecunia resignari.

5. *Accepimus.*—Non valet pactum, de succedendo post mortem Prælati in ipsius Ecclesia.—*Concordat Trid. sess. 25. cap. 7. de ref.*”

6. *Cum Clerici.*—Qui per pactum augendæ pensionis consecutus est Ecclesiam, debet ea privari, et aliàs canonicè puniri

7. *Plerique.*—Si Ecclesia rem suam locando, vel in feudum concedendo apponit pactum in præjudicium juris parochialis alterius Ecclesiæ, non tenet; et quicquid in hac occasione perceperit, reddere cogitur illi Ecclesiæ.—*Nec obstat cap. Pactum. 1. hoc eod. tit. in 6, ubi statuitur observandum esse pactum conventum circa sepulturam, ac proinde inferitur posse pactum adjici circa sepulturam, quia ibi pactum in initum fuit inter Rectorem Ecclesiæ et monasterium, non inter parochianum et Rectorem Ecclesiæ, quod improbat tam hic, quam in cap. Animarum 1. de sepult. in 6. et in Clem. Cupientes §. Sane de pœn.*”

8. *Pactiones.*—Non valet pactio in spiritualibus, vel quæ pactum inducit, vel turpis seu de re turpi, vel impossibilis de jure, vel de facto.

IN SEXTO—Ibi tit. XVIII.

Cap. 1. *Pactum.*—Monachi habentes liberam à Sede Apostolica sepulturam, si paciscuntur de non recipiendis aliquibus vel certis paræcianis Ecclesiæ alicujus, servare compelluntur pactum: nec illos sepelire poterunt, licet apud eos elegerint sepeliri, cum per pactum privilegio renunciaverit.

2. *Quamvis.*—Pactum factum patri à filia, dum tradebatur nuptui, quod dote contenta, nullum habebit ad bona paterna regressum; si juraverit id ipsa filia, omninò servare tenebitur.

3. *Quia.*—Pacta inita per fratres Prædicatores, vel Minores, vel alios Mendicantes cum Rectoribus paræcialium Ecclesiarum super paræcialibus juribus, si facta sunt per Priores vel Guardianos, de Conventuum ipsorum locorum consensu, (licet auctoritas Sedis Apost. non intervenerit, vel licentia Prioris, vel Ministri Generalis, aut Magistri, vel provincialis Ministri, vel Capituli provincialis) servanda sunt, si aliàs sint licita et honesta.—*Huic privilegio derogatum est ex decreto Cong. Conc. jussu Urb. VIII. edito 7 Sept. 1624, quoad omnes Regulares etiam militares existentes intra fines Europæ. Unde servare debent Extravag. Ambitosæ, et Clement. I de Reb. Eccl. non aliena.*”

TIT. XXXVI.—DE TRANSACTIONIBUS.

Cap. 1. *Sicut.*—Instrumenta et alia jura partium contraria transactione tollantur.

4 Alex. III. Exon. et Wigor. Episc.	1 Bonif. VIII.
5 Idem Archiep. Eborac.	2 Idem.
6 Idem Cantuar. Archiep.	5 Idem.
7 Innoc. III. in Conc. gen. Later.	1 Greg. I. Anton. Subd. et Domin.
8 Greg. IX.	Ab. ac Presb. à Partibus.

2. *Statuimus.*—Tenet compositio super decimis facta cum assensu superioris.—*Nec obstat cap. Venerabilis 8. de confirmat. util., ubi ostenditur in transactione facta super decimis opus fuisse confirmatione Apostolica; quia ibi transactio non fuit facta inter personas ecclesiasticas ex utraque parte, sed inter Episcopum, et Regem, ac Barones et Milites Cypri; ideoque non satis erat auctoritas Episcopi, ut hic.*”

3. *Contingit.*—Si capitulum consensit transactioni, quam fecit prælatus nomine Ecclesiæ, ulterius dissentire non potest.

4. *Constitutus.*—Super Ecclesiastico beneficio transigi non potest, etiam cum juramenti interpositione.

5. *De cætero.*—Per transactionem factam sine auctoritate Episcopi, potest Prælatus, sed non Ecclesia constitui censualis.

6. *Ex litteris.*—Si beneficium, quod per transactionem habetur, impetratur, ut vacans ab eo, qui fuit transactionis mediator, non valet impetratio.

7. *Super.*—Super ecclesiastico beneficio non potest transigi, sed amabiliter componi.

8. *Veniens.*—Transactio facta de rebus Ecclesiæ per prælatum sine superioris consensu, non obligat successorem.

9. *Præterea.*—Sicut super jure præsentandi, ita super annexo non potest transigi, ut recedatur à lite, interveniente aliqua temporalitate.

10. *Præterea.*—Super spirituali subjectione non licet transigere.—*Intellige, quando intervenit aliqua simoniæ labe, et incipit ab ipsis partibus; non verò, quando proponitur à Judice iidem sine simoniæ labe; et sic conciliantur cum hac decretali cap. Si quando 8. de offic. Legat. et cap. Cum inter 16. de elect.*”

11. *Ex parte.*—Judex potest, et debet se interponere pro transactione inter partes faciendâ, præterquam in casibus, in quibus jura hoc non admittunt, ut super matrimonio.—*Nec obstat cap. Quod nobis 2. de clandest. despons., ubi statuitur esse approbandum matrimonium, de quo prius non constabat esse contractum, si contrahentes volunt in eo persistere; nam ibi non agebatur de transactione pro dissolvendo matrimonio, quod à jure improbat, ut hic, sed de eo conservando absque ullo impedimento jam contracto.*”

TIT. XXXVII.—DE POSTULANDO.

Cap. 1. *Clerici.*—Clericus in sacris, vel minoribus beneficiatus, in sæculari foro non debet postulare, nisi pro se, vel sua Ecclesia vel miserabi-

2 Alex. III. Wigo. et Oxon. Episc.	7 Idem.
5 Idem Dulmen. Episc.	8 Idem Abb. de Streflut, sive Strata Florida, et Priori S. Euseb.
4 Idem Abb. de Streflut, et Priori S. Euseb.	9 Luc. III. Norvicens. Episc.
5 Idem Cantuarien. Archiep.	10 Cœlest. III.
6 Idem Roger. Archiepisc. Eborac. Apost. Sed. Leg. et R. Wigor. Episc.	11 Honor. III. Joann. S. Praxedes. Presb. Card. S. Sed. Ap. Leg.
	1 Ex Conc. Later.

lium personis.— Ex consuetudine, et tolerantia Pontificis in Curia Romana contrarium servatur, teste Fagn. hoc eodem cap. n. 22. "

2. *Ex parte.*— Canonici regulares postulare non possunt, sicut et Monachi, nisi pro utilitate Ecclesiæ, vel sui monasterii, et præcepto Abbatis.

3. *Cum Sacerdotis.*— Clerici tam in sacris, quàm in minoribus, etiam Canonici regulares postulare nequeunt, nisi in certis casibus, et qui contra propriam Ecclesiam pro alio postulaverit, privatur beneficio, quod in ea obtinet.

TIT. XXXVIII.—DE PROCURATORIBUS.

Cap. 1. *Alia.*— Non auditur quis tanquam alterius procurator, nisi habeat mandatum legitime factum.— Nec obstat cap. *Coram* 34, de Off. leg., nec cap. *Cum dilectus* 8, de Relig. domibus, ubi statuitur admitti posse ad agendum offerentem tantum cautionem de rato, etiam sine mandato domini; nam ibi agebatur de procuratoribus, quos constabat habuisse mandatum præsumptum, et sic admitti possunt cum sola cautione de rato.— Nec cap. *Cum olim* 34, de Relig. domib., ubi Archidiaconus admissus fuit in iudicio ad agendum super statu certæ Ecclesiæ absque mandato et cautione de rato; nam ibi agebatur lis inter ipsum et Archiepiscopum Cantuariensem, qui negligens erat in defendendis juribus dictæ Ecclesiæ; ideoque admissus fuit sine mandato, non tanquam procurator, sed ut pars capituli, et persona pro defendendo jure conjunctorum.

2. *Querelam.*— Non valet sententia, etiam expensarum condemnatoria, lata contra absentem ex probabili causa legitimi per nuncium excusatum.

3. *Ex insinuatione.*— Sententia lata cum procuratore revocato, et de hoc certificato, non præjudicat domino.— Vide Elencho II. n. 47. "

4. *In nostra.*— Rescriptum super consequutivis iudicis impetratum a procuratore revocato, et de hoc certificato non valet, nec processus, nec sententia lata per ipsum, si revocatio pervenit ad adversarium.

5. *Tua.*— Si agitur de adulterio coram Judice sæculari, ad pœnam legalem non intervenit procurator; secus si coram ecclesiastico ad separationem tori.

6. *Cum pro causa.*— Qui de mandato domini causam procuravit, ab eo repetit expensas propter hoc factas.

7. *Quia.*— Universitas etiam scholarium potest ad agendum et defendendum procuratorem constituere.

8. *Auditis.*— Si citatus ad totam causam constituit procuratorem, quem

2 Innoc. III. Compostel. Archiep.

3 Greg. IX.

1 Greg. I. Maximo Episc. Salonit.

2 Alex. III.

3 Clem. III.

4 Innoc. III. Cabilon. et Catalaun. Episc.

5 Idem Brixien. Episc.

6 Idem N. Archipresh. N. Decano, et N. Præemptori Lugdun.

7 Idem Scholarib. Parisien.

8 Honor. III. Episc. Egitanen.

postea revocat, potest nihilominus contra eum procedi, in quantum status causæ patitur sine alia citatione.

9. *Petitio.*— Procurator Episcopi causas episcopatus agit et defendit, licet non fuerit datus sub nomine syndici, vel actoris.

10. *Accedens.*— Providere debet Judex, maxime in causa matrimoniali, quod constituens procuratorem gaudeat plena libertate.

11. *Dilectus.*— Si procuratori generali denegantur induciæ ad consulendum dominum ex causa probabili absentem, poterit procurator appellare.

12. *Constitutis.*— Si reus recedit a iudicio, dimisso procuratore solummodo ad agendum, contumax est, et condemnatur in expensis.

13. *Mandato.*— Tenet iudicium agitatum cum procuratore revocato, si revocationem Judex et adversarius ignoraverunt.— Nec obstat cap. *Procurator* 9, hoc tit. in 6, ubi statuitur esse nullum matrimonium contractum per procuratorem, etiamsi neque ipsi, neque alteri contrahentium constiterit revocatio mandati; nam textus ille est specialis pro contractu matrimonii, pro quo requiritur plenissimus consensus mandantis, nec suppleri potest a jure. "

14. *Non injustè.*— Filiusfamilias potest esse procurator in iudicio, etiam ad futuras lites; et procurator datus cum pluribus simul in solidum præfertur, si præoccupavit negotium: secus si diverso tempore fuit datus. Item procurator appellare debet a sententia, nisi ex causa excusetur; quo casu debet domino nuntiare de sententia; appellationem tamen prosequi non tenetur.

15. *Consulti.*— Procurator Universitatis, cujus majores et jurati excommunicati sunt, non repellitur ab impetrando, nisi illi in procuratorio sint expressi, vel eorum auctoritate factum sit, vel ad id scienter sint admissi.

IN SEXTO.—Ibi tit. XIX.

Cap. 1. *Non indiscretè.*— Laicus potest esse procurator ad agendum et defendendum in causis spiritualibus.— Procurator post litem contestatam potest dare alium procuratorem: antè non, nisi datus fuerit in rem suam, vel a domino habuerit mandatum de substituendo etiam non certam personam.— Procurator ad negotia potest dare alium procuratorem liberè, et etiam quodcumque.

2. *Quamvis.*— Procurator ante litem contestatam, etiam sine causa revocari potest post litem contestatam, non sine rationabili causa. Dominus tamen benè potest adesse causæ cum ipso procuratore; maxime si de collusionem timeat.

3. *Is, qui.*— Procurator habens mandatum substituendi, substitutum a se post mandatum susceptum, etiam si eo non sit usus, revocare non po-

9 Idem M. et R. Canonic. Mutinen.

10 Gregor. IX. Ubaldo Civi Pisan.

11 Idem Cantuar. Archiep.

12 Idem Episc. Lexon.

15 Idem.

14 Idem.

15 Idem.

1 Bonif. VIII.

2 Idem.

3 Idem.

test, nisi et potestatem habuit revocandi: si autem erat procurator ad plures causas, et in altera substituit, in aliis remanet procurator.

4. *Qui ad agendum.*—Procurator generalis non agit exigentia speciale mandatum, nisi cum aliqua illorum specificatione, vel libera potestate.

3. *Qui generaliter.*—Mandatum generale ad negotia, etiam ad judicia se extendit.—Potest filiusfamilias esse procurator, etiam absque patris consensu.—Major annis 25 ad judicia, major 17 ad negotia deputari potest procurator.

6. *Si duo.*—Ex duobus procuratoribus simul simpliciter constitutis, alter solus admitti non debet. Si verò in solidum, qui primò contestatur litem, admittitur, altero totaliter excluso, nisi adjectum fuerit, quod non sit melior conditio occupantis; quo casu altero non prosequente, nec alium substituente, reliquus admittatur.—Procurator datus in solidum, qui occupaverat negotium, ex impedimento exclusus, non reassumit, nisi altero impedito.—In causis spiritualibus ex duobus procuratoribus simul simpliciter datis, Judex eligit magis idoneum, qui solus prosequi poterit, nec alius admittitur, nisi primo legitimè excluso.

7. *Licet.*—Procurator, qui renuit acceptare mandatum, pœnitere potest, quamdiù constituens in eadem perseveraverit voluntate.

8. *Si quem.*—Dominus dans procuratorem, quoties contigit eum abesse, causam tractando, procuratorem non intelligitur revocare: secus si simpliciter, nisi expressè protestetur, quod ipsum revocare non intendit, vel aliàs hoc appareat ex probabilibus conjecturis.

9. *Procurator.*—Tria dicit:—1.º Quod procurator ad contrahendum matrimonium debet habere speciale mandatum.—2.º Quod talis procurator non substituit, nisi ad hoc mandatum habeat.—3.º Quod si talis procurator revocatus etiam ignoranter contraxit, non tenet matrimonium.

IN CLEMENTINIS.—Ibi tit. X.

Cap. 1. *Instrumento.*—Qui sciens sine protestatione recipit instrumentum, vel litteras suæ procurationis, quibus constituens pro ipso cavebat, super inclusis in procuratorio dominum defendere cogitur.

2. *Non potest.*—Procurator habens mandatum jurandi, et omnia faciendi quæ requirunt speciale mandatum, contra electum, vel provisum opponere non potest crimina vel defectus.

3. *Religiosus.*—Religiosus etiam pro conreligioso, nisi pro consorte ejusdem litis, non potest procurator constitui sine licentia superioris, nec etiam alium constituere, nec substituere, licet hoc habeat in mandatis.

4. *Procuratorem.*—Per obitum Rectoris Ecclesiæ revocatur procurator ab eo pro Ecclesia constitutus, etiam quoad negotia jam cepta.

1 Bonif. VII.
5 Idem.
6 Idem.
7 Idem.
8 Idem.

9 Idem.
4 Clem. V. in Conc. Vien.
5 Idem.
3 Idem.
4 Idem.

TIT. XXXIX.—DE SYNDICO.

Cap. unic. *Sicut.*—Religiosi debent habere syndicum, qui causas monasterii agat et defendat, etiam (si opportuerit) constituto illi salario.—Hoc est de potestate, non de necessitate. Unde conciliatur cum hac decret. cap. *Insuper* 9 de testib. et attestat., ubi præscribitur posse etiam per se tractare causas monasterii.

TIT. XL.—DE HIS, QUÆ VI METUSVE CAUSA FIUNT.

Cap. 1.—*Perlatum.*—Si quis timore mortis, postea ratum non habens, Religionem profitetur, exire et matrimonium contrahere potest: secus si à principio, vel ex postfacto liberè consensisset.

2.—*Abbas.*—Qui per metum amissionis patrimonii suo beneficio renunciat, illud repetere potest.

3.—*Ad aures.*—Qui terrore laicorum electioni de se factæ renunciat, si renunciatio juramento, vel fide firmata non sit, regimini, ad quod electus erat, præfici poterit.

4.—*Ad audientiam.*—Qui per metum, qui cadere potuit in constantem virum, beneficio suo renunciare juravit, et renuntiavit, illud repetere poterit.

5.—*Sacris.*—Excommunicatus non est, qui absolutè coactus excommunicato (*intellige vitando*) communicat: secus si coactio fuit conditionalis.

6. *Cùm dilectus.*—Metum passo non subvenitur, si non fuit talis, qui potuit cadere in constantem virum.

7. *Super.*—Probata violentia per testes, res amissæ probantur per juramentum: et super valore rerum amissarum, taxatione Judicis præmissa, et secuto petentis juramento, fit condemnatio.

IN SEXTO.—Ibi tit. XX.

Cap. unic. *Absolutionis.*—Excommunicationis, suspensionis vel interdicti absolutio, vel revocatio per vim extorta non tenet; et extorquens excommunicatus est ipso jure.—Hæc excommunicatio non est reservata: sed ex c. 24. Bullæ Cænæ cogentes, et cooperantes, ut partes actrices consentiant, et revocent inhibitiones expeditas pro causis spiritualibus aut eis annexis, absolvanturque à censuris et pœnis in ipsis inhibitionibus contentis, contra quos hæ emanarunt, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam; sicut impediens directè, vel indirectè judicibus ecclesiasticis exercitium suæ jurisdictionis, eorumque sententias, et decreta eludentes recurrunt ad forum sæculare ut in cap. 16 ejusdem Bullæ.

U. Gregor. I. Petro Subd. defens. Sicil.	4 Innoc. III. Episc. Lingon. et ejus Collegis.
1 Alex. III. Oscan. Episc. et Priori S. Mariæ Cesar August.	5 Idem Nidrosien. Archiep.
2 Idem Wigor. Ep.	6 Idem Maffil. et Agaten. Episc.
5 Clem. III.	7 Greg. IX
	U. Gregor. X. in Conc. gen. Lugdun.

TIT. XLI.—DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE.

Cap. 1. *Requisivit.*—Si in contractu conditionis, vel locationis, Ecclesia fuit enormiter læsa, potest adversus talem contractum petere restitutionem ad integrum: emptor tamen, sicut conductor non debet fraudari in pretio suo, vel in sumptibus per eum factis.

2. *Cum venissent.*—Restituitur Ecclesia læsa propter negligentiam procuratoris, qui jura Ecclesiæ non produxit.

3. *Auditis.*—Ecclesia læsa in probatione necessaria omissa potest petere restitutionem in integrum, non obstante termino juris probationis exclusivo: et restitutionem petere potest, non solum contra privatum, sed etiam contra Ecclesiam.

4. *Ex litteris.*—Restitutio ex justa causa etiam majori est concedenda, dummodo justa causa petendi probetur: si autem non probatur plenè, vel semiplenè, conceditur restitutio in causa favorabili.

5. *Tum ex litteris.*—Etiam contra sententiam Papæ restituitur Ecclesia. Et causa restitutionis in integrum debet præsentibus partibus tractari.

6. *Suscitata.*—Petitio restitutionis in integrum contra sententiam suspendit regulariter executionem sententiæ in eventu istius causæ restitutionis. Fallit si contra petentem restitutionem est præsumptio malitiæ quod causa differendi executionem hoc petat; quo casu executio fit, præstita cautione de restituendo, si petens restitutionem obtinebit in causa.

7. *Coràm.*—Post peremptorium non auditur Ecclesia de jure communi: auditur tamen per beneficium restitutionis in integrum.

8. *Constitutus.*—Restituitur minor in eo, quod contraxit, vel omisit, si probat exindè se læsum, et sit intra tempora restitutionis petendæ.

9. *Causa.*—Restitutio in integrum postulanda est ab Ordinario administrationem habente, vel à Delegato ab eo, sive hæc causa sit specialiter delegata, sive incidat in causa generaliter sibi commissa. Ab Ordinario verò administrationem non habente, vel à Delegato peti non debet, nisi veniat incidenter in causa. Arbitrator autem de causa restitutionis non cognoscit, nec potest assumi in majoribus causis.

10. *Beneficio.*—Restitutio denegata Ecclesiæ ulterius sibi non conceditur, nisi ex nova causa: restituitur tamen ad appellandum à sententia denegationis.

IN SEXTO —Ibi tit. XXI.

Cap. 1. *Ecclesia.*—Ecclesia post quadriennium non admittitur ad pe-

- | | |
|--|-----------------------------------|
| 1 Alex. III. Aliphan. Episc. | 6 Idem Zamor. et Legion. Episc. |
| 2 Innoc. III. S. Gregor. et S. Serg. Abb. | 7 Honor. III. Archiep. Bracharen. |
| 5 Idem Helien et Bophen Ep. | 8 Gregor. IX. |
| 4 Idem Priori S. Mariæ ad Carcer. et Can. S. Mariæ de Mandria. | 9 Idem. |
| 5 Idem Episc. et Capit. Oseen. | 10 Idem. |
| | 1 Gregor. IX. |

tendum restitutionem contra sententiam, vel contractum, nisi rationabilis aliqua causa hoc suadeat.

2. *Si adversus.*—Ecclesia contra confessionem, qua læsa fuit, admittitur intra quadriennium per beneficium restitutionis in integrum: postea non, nisi per viam juris communis.

IN CLEMENTINIS.—Ibi tit. XI.

Cap. unic. *Ab Ecclesia.*—Ecclesia probans se læsam per lapsum temporis, ad illud tempus tantum restituitur, et intra quadriennium à tempore læsionis.

TIT. XLII.—DE ALIENATIONE JUDICII MUTANDI CAUSA FACTA.

Cap. 1. *Ex quorundam.*—Is, in quem facta est alienatio rei, causa mutandi iudicii, convenitur per rescriptum impetratum contra alienantem.

2. *Ex parte.*—Clericus causa mutandi iudicium, non debet recipere cessionem à laico.

TIT. XLIII.—DE ARBITRIS.

Cap. 1. *Sanè.*—Arbitri sunt in dispari numero assumendi, et eis discordantibus, status sententiæ majoris partis.

2. *Non sine.*—Nullum est arbitrium, seu arbitramentum continens peccatum per partes non remissibile.—Hic non improbat successio immediata collateralium, seu transversalium in beneficiis, sed vide notata in cap. *Ex parte* 12 de offic. et potest. Jud. Deleg. "

3. *Pervenit.*—Arbitrator assumptus in patrimoniali causa clerici non potest adjudicare rem Ecclesiæ possidendam, etiam ad vitam clerici.

4. *Dilecti.*—In mulierem singularem, tanquam in arbitratricem compromitti non potest: secus si mulier habet alias jurisdictionem de jure communi, vel consuetudine; nam tunc super rebus etiam temporalibus Ecclesiæ potest in eam validè compromitti.—Nec obstat cap. *Quintavallis* 18 de jurejur., ubi compromissum factum in quasdam fœminas reprobat, non quia factum in ipsas, sed quia earum arbitrium erat contra jus naturale; nam ibi non fuit factum compromissum, tum quia agebatur de causa criminali, in qua non admittitur, cap. *Causa* 9 de integ. restit.; tum quia illæ erant ex litigantibus, in quas compromitti non potest (*l. penult. ff. hoc tit*), sed fuit facta promissio juramento firmata de satisfaciendo injuriis illatis.

- | | |
|---|---|
| 2 Bonif. VIII. | apud Gonzalez incipit: Item placuit. |
| U. Clem. V. in Conc. Vien. | |
| 1 Alex. III. Archiep. Rhotomag. | 2 Alex. III. Eborac. Archiep. |
| 2 Greg. IX. Ab. S. Nicol. et Decan. Furven Morin. Diæt. | 5 Idem Exon. Episc. |
| 1 Ex Conc. Afric. an. 402. Ho. c. | 4 Innoc. III. Cancellar. et Magistr. Lothar. Canon. Parisien. |

5. *Cum tempore.*—Ecclesia exempta non potest in præjudicium exemptionis compromittere.

6. *Cum dilectus.*—Arbiter non habet potestatem judicandi ultra comprehensa in compromisso, ideo coram eo non fit reconventio.

7. *Cum olim.*—Qui per arbitrium tenetur eligere cum aliquorum consilio, tenetur illorum consilium in tractatu electionis requirere, sed sequi non adstringitur.

8. *Contingit.*—De rebus spiritualibus in laicum compromitti non potest.

9. *Per tuas.*—Auctoritate Judicis etiam delegati potest de causa spirituali in clericum, et laicum compromitti. Et si arbitrium est à partibus receptum, debet executioni mandari; licet per generalem procuratorem factum fuerit compromissum. Si autem non fuit arbitrium approbatum, et pœna fuit apposta, agitur ad pœnam, alias ad interesse.

10. *Ex parte.*—Si per duos Electos ad eandem Prælaturam in discordia compromittitur in ordinarium, morte alterius compromittentium expirat compromissum: ordinarius tamen ex potestate ordinaria procedit super jure superstitis, antequam fiat transitus ad aliam electionem.

11. *Exposita.*—Arbiter post rem judicatam super discordiis novis assumptus, non potest per suum arbitrium sententiam immutare, etiamsi de componendo inter partes mandatum acceperit à Papa.

12. *Innotuit.*—Non valet compromissum factum in duos, sive plures, hoc adjecto, ut in casu discordiæ eligatur tertius per eosdem, vel alios.

13. *Cum à nobis.*—Valet compromissum factum in unum, vel in plures, ut ipsi per se causam definiant, vel per alios, quos ipsi elegerint.

14. *Compromissum.*—Compromissum ante sententiam latam finitur morte alterius compromittentium; unde non transit in hæredes compromittentium, nisi de eis sit cautum in compromisso.

IN SEXTO—Ibi tit. XXII.

Cap. 1. *Si ex tribus.*—Si ex tribus arbitris duo concordant in summa, tenet eorum sententia: si omnes discordant, tenet sententia de summa minori.

2. *Ut questionibus.*—Si ex tribus arbitris unus nolit examinando, vel definiendo negotio interesse, duo procedere poterunt, ac si ille præsens esset. Circa judices autem antiqua jura servantur.

- | | |
|--|--|
| 5 Idem Ab. et Convent de Pigavia. | 11 Idem Electo et Ab. S. Zenon, et Constantin. Canon. Veron. |
| 6 Idem. Priori S. Andr. Ab. de Berth. T. Priori. Archid. et Magistr. A. Official. S. Andr. | 12 Greg. IX Decano. et Magist. P. Canon. S. Petri Atrebat. Dioc. |
| 7 Idem Rectori, et Fratrib. Hospital. S. Barthol. Lucani. | 13 Idem Abbatiss. et Convent. Joretren. |
| 8 Idem. in Conc. gen. Later. | 14 Idem. |
| 9 Idem Pisan. Archiep. | 1 Boniff. VIII. |
| 10 Honor. Archiep. Colon. | 2 Idem. |

LIBER SECUNDUS.

TIT. I.—DE JUDICIIS.

Cap. 1. *De quovulteo.*—Contumax in non comparendo vel non respondendo, excommunicari potest; beneficio autem privari non debet.

2. *Decernimus.*—Laici ecclesiastica negotia tractare non debent, sed Prælatorum judicio disponuntur.

3. *Quando.*—Causa jurispatronatus spectat ad judicium Ecclesiæ.

4. *Etsi.*—Clericum convictum, et confessum de crimine coram Judice sæculari, ex eo non punit Episcopus: sed coram se convictum, vel confessum punit pœna debita, nisi cum illo dispenset, quod potest in adulterio, et minoribus; depositum verò non statim tradit Curia sæculari.—In adulterio, et minoribus potest cum clericis, peracta pœnitentia, Episcopus dispensare; non quemlibet autem depositum pro suis excessibus tradit Curia sæculari.

5. *Ceterum.*—Vasallus coram domino feudi conveniendus est, etiamsi dominus feudi sit clericus, dummodo actor possit suam justitiam consequi, alias loci Ordinarius poterit adiri.—Vide notata infra cap. *Si quis I. de for. compet.*

6. *Dilecti.*—Nomen actionis in libello exprimere pars non cogitur, debet tamen factum ita clarè proponere, ut ex eo jus agendi colligatur.

7. *Intelleximus.*—Excommunicatus in judicio, nisi tamquam reus stare non potest.

8. *Clerici.*—Clericus de omni crimine debet coram ecclesiastico judice conveniri, nec valet consuetudo contraria.

9. *Causam.*—Judex ex officio providere debet, ut debita solemnitates servantur in judiciis, quibus omissis, judicium redditur frustratorium.

10. *Cum non.*—Clericus depositus incorrigibilis excommunicandus est, et successivè anathematizandus; et si sic non respuerit, per judicem sæcularem comprimendus est.—Intellige postquam ei traditum est à Judice ecclesiastico.

11. *Quia.*—Per rescriptum impetratum contra violentum occupatorem convenitur qui scienter succedit in vitium.

12. *Cum venissent.*—Solus Papa cognoscit de dubiis privilegiorum Apostolicæ Sedis, et non inferior.

- | | |
|---------------------------------------|--|
| 1 Ex Conc. Afric. | 8 Luc. III. Strigon. Archiep. |
| 2 Ex Synodo Rhemen. | 9 Clem. III. R. Wigor. Ep. et Abb. de Eveshan. |
| 3 Alex III. Henr. II. Reg. Angl. | 10 Cœlest. III. Bruadus. Ep. |
| 4 Idem Saler. Archiep. | 11 Idem Windon. Episc. |
| 5 Idem Rom. | 12 Innoc. III. S. Serg. et S. Georg. Ab. et Cantori Andegav. |
| 6 Idem Exon. Episc. et Decan. Londin. | |
| 7 Idem Paduan. Episc. | |